

pavidus Turcarum impetum sustinuiſſet, multis adverſo pectore acceptis vulneribus, ſanguine madens, fervidior inſtat, Cauraliūque, ſummi nominis apud Turcas præfectum, una cum ejus triremi capit.

1571
*Federicus
 Nanus
 Cauraliū
 capit.*

Nec minori ardore in altera dexteri cornu parte decertabatur. Nam Marcus Quirinus legatus acerrime dimicando, ceteroſque inflammando, ejuſmodi ſtragem Turcarum ediderat, ut haud dubie, inclinata hoſtili acie, noſtris victoria adſpiraret. Verum medio in agmine, ubi foederati imperatores ducum ac præfectorum robore ac flore ſtipati erant, atrocior pugna ſæviebat. Auſtriacus, ac Venerius in Halis, Turcici imperatoris, triremem magno impetu delati, cruentum atque anceps prælium ineunt. Milites hoſtilem proram conſcendentes, atque in puppim proripere ſe adnixi, haud ſemel ſummoventur; ipſe Halis armatus ſeſe uſque ad malum inferentes propellit. Caracoza, Aulonis; Mamutes ac Saidebergius, Mitylenes præfecti; Pertaus Baſſa pugnam fortiter capeſſunt. Aliæ ex iis, quæ phanalìa geſtant, triremes ſuperveniunt, undique ad eam partem concurſus fit. Id Alvarus Baciauus, qui in ſubſidiis erat, conſpicatus, celerrime cum triremium manu accurrit. Eodem tempore Joannes Baptiſta Contarenus a latere triremem Sebaſtianum Venerium adorituram invadit, ac deprimit. Joannes Lauretanus, ac Catharinus Maripetrus opem noſtris ferre contendentes, dum obſtantium hoſtium conatus frangere conantur, interfecti, eorum navigia male habita ſunt. Vivida vero imperatorum virtus tunc maxime eluxit, dum ſinguli ſuos adhortando, faces incenſis per ſe militum animis ſubdunt. Ipſi fulgentibus armis conſpicui, militari gloria incitati, capita pro religione ac chriſtiana republica obijciunt. Auſtriacus proterere Halim contendit. Columna, qua denſius hoſtium triremes, ut Baſſæ ſubvenirent, ſe conglobaverant, invecſus, acerrime dimicat, hoſtes proculcat, proſternit; duabus triremibus captis, ad majus decus anhelat. Cernere erat Sebaſtianum Venerium, Venetæ claſſis impetorem, ea ætate, galea, lorica, varioque armorum indutum genere, juvenili auſu in hoſtiles triremes irrumpere, allidere, diſſicere, cuncta ferro, atque igni demerere.

*Haliſ claſſis
 Turcica
 imp. interſi-
 citur.*

Tandem cum binas horas pugnatum eſſet, Hali glande in-

ter-